

Descriptio baronatus Alto-Saxensis : eiusque, quam maxime vero Haganorum reformatio ecclesiastica delineata a Casparo Thomanno [...]

Autor(en): **Thomannus, Casparus**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1750)**

Heft 18

PDF erstellt am: **12.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394671>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Descriptio
BARONATUS ALTO-SAXENSIS;

Ejusque, quam maxime vero

HAGANORUM

Reformatio Ecclesiastica

delineata

a

CASPARO THOMANNO;

*Cætus Saletani & Hagani Pastore, nunc Scholæ
Abbatissanæ Turic. Provisore, & totius
Ludi Moderatore Vicario.*

Breviarium.

§. I. Denominatio & Naturalis Conditio Provinciæ. §. II. Ejus Fertilitas & varia commoda. §. III. Diversa ipsius onera & mala. §. IV. Illius situs & magnitudo. §. V. Arx Forsteck, ejusque conditio & Fata. §. VI. Pagus Sax, & quæ in illo commemoranda. §. VII. Pagus Sennwald quæque memoratu digna habet. §. VIII. Pagus Salez, & quæ ex illo notari merentur. §. IX. Veterum Baronum Familia, potentia & Fata. §. X. Præsens rei civilis status in hac Provinciæ, & jurisdictionis norma. §. XI. Varia hujus Provinciæ judiciorum genera. §. XII. Baronatus res militaris tum antiqua tum præsens. §. XIII. Reformatio Ecclesiastica totius Provinciæ. §. XIV. Hagani ad Religionem Pontificiam iterum deficient. §. XV. Illorum secunda Reformatio quæritur, hinc novæ Parochiæ Saletanæ Jodocus GROBIUS præficitur. §. XVI. Jodoci GRO-

BII Natalia & Studia. §. XVII. Ejus Matrimonium & laudabile Ministerium in Toggio. §. XVIII. XIX. Ejus iniqua persecutio & amotio a Pastoratu. §. XX. Iplius vocatio & Promotio ad Pastoratum & Saletanum & Vadisvillanum, nec non ad Decani honores, & tandem illius obitus. §. XXI. Difficilis est Haganorum Reformatio ob multa impedimenta. §. XXII. Pastor Grobius & publice pro Cathedra & privatim in vita quotidiana omnia facit, quæ ad Saletanos ædificandos & Haganos convertendos conducunt. §. XXIII. Haganorum Reformatio efficitur. §. XXIV. Et Tigurum versus perscribitur. §. XXV. Haganani in gremium Ecclesiæ recipiuntur. §. XXVI. Signa externa lætitiæ ob hanc Reformationem. §. XXVII. Lepida Disputatiuncula D. Grobii cum Sacrificulo Benedurano. §. XXVIII. Disciplina Ecclesiastica inducitur, & hodierna hujus Ecclesiæ ejusque Ministrorum facies sistitur. §. XXIX. Conditio Scholarum exponitur.

§. I.

Reformationis Ecclesiasticæ in Baronatu Alto-Saxensi faciem rudi crassoque penicillo delineaturus, nonnulla, quo res rerumque nexus accuratius cognoscatur, de ipsa Regionis Natura ac Politia præmittere necesse duxi.

Libera hæc Provincia seu Baronatus vocatur **Sax**, quod ipsum est Latinorum SAXUM, quæ denominatio ipsi dubio procul competit ex naturali illius conditione Situve, quippe non solum Montibus saxosis & altis adjacet rupibus, sed & ipsa vallis & regionis planities lapidibus & Saxis adeo est consita, ut vix ager vel pratium invenias in quo non varia majuscula minuscula hinc inde mammaram adinstar ex humo protuberantia videantur, quæ terræ proventum non parum imminuunt: Sed tamen Rustici, qui & melioris

lioris & diligentioris sunt notæ cum manuum labore, tum vi pulveris pyrii ea per tempora effodiunt, illis prata purgare student, qua autem ex re duplex ipsis evenit fructus, quod ager excultus plures proferat fruges, quod dein ex lapidibus displosis incolæ construant macerias, quibus prata a pecorum insultibus muniuntur.

§. II.

Noli tamen putare, quasi hæc regio sit terra inculta, deserta, sterilis ac inhospitalis; non temere forsan dicerem, ipsam vel solam fecunditate sua suis incolis alendis sufficere. Habet præprimis multa prata fœni cordique non tam proceri quam succulenti ac lactiferi feracia, vastaque carrecta, quæ pecudum pascuis inserviunt; nam observandum, hanc provinciam esse regionem tauriferam, cujus cives ex re pecuaria suum quæstum alimentumque quærunt. [*] Habet dein fertiles agros, qui proferunt partim linum, quod fœminæ per hyemen & parant & in fila ducunt & solvendis debitis impendunt; partim varii generis fruges puta Hordeum, Triticum, Fabas, Avenas &c. quibus ipsi agricolæ ad vitam sustentandam fruuntur. Habet præterea aliquot vineolas, præcipue in pagis *Sennwald*, *Sax* & *Frömsen*, [**] in quibus
binis

[*] Cum A. 1732. in vere aliqua inter pecora serpebat lues, ex Ampliff. Magistratus jussu illorum numerus in hac Provincia collectus, pro regionis magnitudinæ erat satis multus. Nempe Taurorum, vaccarum boumque erant duo millia, centum & sex. Et Equi trecenti, & septuaginta septem numerabantur.

[**] Salez & Haag pagi Rheno proximi, plani, palustres & frigidiores vinetis plantandis minime sunt apti.

binis posterioribus vinum crescit non minimi generis. Habet insuper & pomaria, quæ hinc inde arboribus frugiferis luxuriari videas, & densas sylvas non solum ad montes magnam partem nemorosos, sed etiam in ipsa planitie, quæ abietibus fagisve opacæ incolis copiosum suppeditant lignum; & hic præsertim memoranda est sylva publica, ad Amplissimum Magistratum pertinens, quæ in media jacet provincia, cujus amplitudo atque ambitus in circulo integram horam superat. Habet porro aliquot rivos piscosos, qui varios gignunt pisces, imprimis truttas; & præcipue in pago *Salez* est rivus, vocatus *die Wislen*, in quo multi magnique proveniunt ac capiuntur cancri; sunt autem hi rivi omnes Magistratus bonum, & tam pisces quam cancri ad Præfecti usum pertinent. Et tandem ipsi Montes, utut silicei saxei-que & oneri magis ac nocumento, quam muneri ac levamento esse videantur, tamen non exiguum præbent usum; nam tempore belli illis tanquam claustris quibusdam incolæ circumsepti, hostem aut suis finibus arcere penitus, aut submovere subeuntem facile possunt; pacis vero tempore Alpium graminosa pascua per æstatem pecudibus pabulum, & inde hominibus lactis, casei, butyri victum dant.

§. III.

Sunt nihilominus non pauca nec exigua, quibus hæc regio ejusque incolæ premuntur mala ac onera, quorum alia ipsis sunt priva, alia cum multis communia. Inter quæ præcipua hæc recensentur. I. Frequentiora damna, quæ ex inundatione aquarum oriuntur; qui enim montibus propinqui accolunt, *Senosylvani*, *Frömsenses* & *Saxenses*

xenses torrentium mala patiuntur, qui ex liquatis nivibus aut magnis imbribus concitati non solum extra munimenta se evolvunt, sed & rapido impetu terram vel proluunt vel lapidibus obruunt: quos vero alluit Rhenus, qui sunt *Hagani*, *Saletani*, [*] *Senosylvani* non tantum multum temporis, laboris ac impensarum impendere debent ad Rheni ripas muniendas, sed etiam sæpius agros ab exundanti Rheno quasi lacus, & fruges aquis innatantes, mœsti vident. II. Decimarum Debitum ac Solutio. *Saletani* quidem Decimarum omnium immunitate gaudent, & *Senosylvani* non nisi vini decimas cœtus sui Parocho debent: [**] At *Saxenses* & *Frömsenses* vinum & fruges, & fœnum, & linum, & nuces &c. partim Præfecto partim Parocho suo decimare tenentur. Et Haganis certum est condictum pretium, quod quotannis ad publicam rationem Præfecto pro decimis solvunt. III. Cives hujus Provinciæ Magistratui sunt homines servi & mancipia, quos defunctos illorum hæredes pecunia redimere & Magistratui lytron solvere debent: Non quidem omnes tales sunt, sed & dantur Liberti & emancipati, qui nihilominus aliquam

[*] Sæpe accidit, ut in ipsis vicis Salez & Haag ob aquæ multitudinem rustici per plateas nudatis pedibus, & nonnunquam navibus cœre debeant.

[**] Et *Senosylvani* & *Saletani* olim frumenti decimas debebant Cœnobio Curienti sive St. Luzen; Eorum autem Majores illas pretio non adeo magno exsolvebant. Et *Saletani* decimas etiam minutarum frugum, porcellorum, melis, ceræ &c. sui Capelli Sacerdoti dare erant obstricti, sed & ab his A. 1624. solutione quingentorum florenorum erga Magistratum Tig. immunes se reddiderunt, tum temporis enim ibi nullus erat Parochus.

quam capitis exactionem, vulgo das Freypfund vocatam solvunt, quæ tamen non acerba, sed lenis est; ad hoc Mancipii jus porro pertinet, quod quivis Paterfamiliâs per annum tres dies, olim Baroni, nunc Præfecto ceu Provinciæ Domino, quo ipsi lubet tempore opera rustica absque ulla mercede facere tenetur; vernacule dicunt; den oberkeitlichen Tagwen thun. Unde peculiaris liber in arce est, in quem omnium & Mancipiorum & Libertorum Nomina a Præfecto diligenter confignantur; das Frey- und Eigen-Buch. IV. Paupertas, quæ communis fors & pœna a summo rerum Arbitro ac Judice humanæ Societati in lege indicata: *Non deerunt in vobis pauperes.* Deutr. XV: 11. & huic Provinciæ contigit, quippe multi in paupertate vitam degunt & egestate urgentur: Horum autem inopia non parum sublevatur tum ex benignissimis & divitibus Magistratus Tigurini donis ac eleemosynis, tum ex liberalibus Divitum pie defunctorum legatis, quorum beneficio singulis annis ad Martini Ferias ducentæ vel trecentæ ulnæ panni laneati [Nördlinger] pauperibus, in primis liberis, distribuuntur, quo acri hyemis frigore nonnihil vestiti scholas frequentare valeant.

§. IV.

Regio hæc *Saxensis* quanquam nunc temporis est Provincia & pars Ditionis Tigurinæ, nec alterius imperio subest, tamen illi non continua, sed XXII. horas Helveticas ab urbe Tiguro sejuncta est, & nonnisi per alienas terras sive per *Castra Rhetica & Toggium*, sive per *Marchiam*, lacum *Rivanum*, *Sarunetum* & comitatum *Werdenbergensem*, sive per *Turgoviam* & *vallem Rhenanam* Tigurinibus adi-

tus

tus patet. Olim ejus Termini erant latiores & ad hanc provinciam quoque pertinebat vicus *Gams*, sed illum aliquando Barones inopia rerum pressi *Glaronensibus* & *Suitiis* vendiderunt, quique adhuc dum a nostra provincia sejunctus *Suitensium* & *Glaronensium* Præfecto *Uzenachi* sedem habenti paret.

Provinciae *Alto-Saxensis* spatium admodum est angustum, numerantur quidem in illa omni familiae plus minus quingentæ; [*] Sed tamen nonnisi duarum horarum longitudinem a Meridie Aquilonem versus, & unius horæ latitudinem a Monte usque ad Rhenum patet. Tigurinis ad Plagam Austro-orientalem spectat, atque medio inter *Rheguscorum* Præfecturam & *Werdenbergium* comitatum intervallo jacet: Ejus termini sunt sequentes, ab Oriente eam alluit *Rhenus* fluvius & attingit Comitatus *Feldkirchensis*; qua ad Meridiem vergit prospectat *Werdenbergenses*; ad occasum versus confinis est tum vico jam jam memorato *Gams*, tum Alpibus *Toggicis*, & tandem pars Septentrionalis partim Alpibus *Abbatiscellanis*, partim fertili *Rhegusia* terminatur.

§. V.

Liceat singula hujus Provinciae loca cito pede percurrere, quæque in illis memoratu digna existimantur, carptim exponere.

Sylva

[*] Diœcesis Saxensis nunc numerat 221. Senosylvana 161. & Saletana 100. Familias.

Sylva fatis spatiosa jacet media in Provincia, atque in illius quasi centro Arx FORSTECK [a] est exstructa, quæ quia & olim Baroni, & nunc Præfecto domicilium præbet, non male pronunciaris, quod Rex in medio regni sedeat meditullio. Hæc Arx primum fuit ædificata Anno 1206. ab *Henrico* Barone ab Alto Saxo, cujus Frater erat Abbas S. Galli nominatus [b] *Ulricus* VI. Idque occasione belli, quod tum temporis adversus Baronem gessit *Hugo* Montefortius Comes, & Dominus in Feldkirch, [c] nam hujus milites in sylva densa sese abdebant, ut autem hos ex suis ejiceret lateribus, illorum insidias effugeret & damnum sibi inferendum facilius averteret, hanc Baro exstruxit arcem. Fuit fortissimum ac inexpugnabile castellum; altæ vastæve rupi inædificatum, adeo ut ad ostium primæ contignationis scala per 35. gradus fuerit conscendenda; Murorum crassities tres vel quatuor superat cubitos; ibi quoque puteus rupi erat infossus, atque in arce mola, [d] quæ manuum opera agitabatur, sicque ipsis ab hostibus obsessis & intra muros coarctatis nec aqua nec farina defuerat. Utut autem hæc Arx fuerit munita,

[a]- Ἐλῆγωνία, Saltus Angulus; Etymologia forsan a vero non abluderet, quia hæc arx in angulo & fronte saltus primitus fuit ædificata.

[b] Hic ab Imperatore Philippo in comitiis Basiliensibus A. 1204. in Principem fuit promotus, & ex Abbatibus S. Galli primus erat, qui ad hunc dignitatis gradum pervenit. Gabr. Walf. Chron. Appenz. p. 149.

[c] V. Ægidii Tschud. Hist. Helv. edit. Bas. A. 1734. P. I. libr. 3. pag. 104.

[d] Utrumque & puteus & mola adhucdum existunt, sed tamen illorum usus obsoluit.

ta, tamen & Martis & flammaram vi valde fuit corrupta ac diruta. Nam *Abbatiscellani* & Cives *S. Galli* non solum Castellum *Alto-Saxum* Anno 1405. penitus destruxerunt, sed & hanc Arcem *Forsteck* magna ex parte sunt demoliti: [a] dein restaurata Anno 1586. ab incendio magnam passa est jacturam, quam reparare cœperat illustris Baro *Jo. Philippus* [b], ejusque opus inceptum Hæredes ipsi superstites sunt prosecuti. Facies quidem hujus arcis reædificatæ nunc temporis adhuc videtur, nulli tamen inservit domicilio, sed nonnisi delinquentium carceribus, & frumenti, pomorum, aliarumque rerum receptaculis est destinata. Huic arci nunc duæ alteræ ædes sunt adstructæ, quæ tum Præfecto domiciliij usum præbent, tum Judicum concilio inserviunt, unde Præfecti domicilium unæ, alteræ Judicum domus apellantur; porro alia sunt ædificia, puta pistrina, lavatorium, lignile, equile &c. quæ omnia mœnibus fossaque obsidionali sunt cincta & munita.

§. VI.

Hæc Arx & Sedes imperii tres pluresve pagos sibi adjunctos & subjectos habet.

Primus a dextro latere occasui obversus per integram horam ab arce disfitus vocatur *SAX*, cujus Diocesi adsociati sunt bini alteri Pagi *Grömsen* & *Büsmig* dicti. In hujus Pagi collo elato & in medio monte præeminenti fuit exstructa Arx *Alto-*

Tom. V.

T

Sax,

[a] V. Gabr. Walf. Hist. Abbatisc. edit. St. Galli Anno 1740. p. 233.

[b] V. hujus Baronis Biographiam, Satira Tom. I. part. IV, §. XX, XXIV.

Sax, quæ prima & antiqua Baronum *Alto Saxensium* erat Sedes, ei per teli jaculum subjectum est alterum Castellum *Frischenberg* denominatum. Binæ hæ arces ab *Abbatiscellensibus* & *Sancto Gal lensibus* Anno 1405. in quinquennali [a] illo Bello penitus dirutæ, quia Baro ab Alto-Saxo contra illos *Canon* Abbati S. Galli auxilio fuit, atque ex illo tempore non amplius ex suis ruinis fuerunt excitatæ, quarum nonnisi rudera hodie conspiciuntur. Porro in hoc Pago est magna & ampla domus, quam Barones Anno 1551. ædificandam & muris cingendam curarunt, quod ipsorum fuit domicilium, illudque *Joannes Albertus*, *Joannis Philippi* Frater inhabitavit: hoc autem deinceps cum Arce *Forsteck* ejusque toto Baronatu Magistratui Tigurino fuit venditum, cumque illud multis annis inhospitale & incolis vacuum fuit, ADRIANUS ZIEGLERUS, Civis Tigurinus & tertius hujus Provinciae Præfectus, ab Amplissimo Magistratu illud emit multisque auxit prædiis: Ex hoc tempore isthæc Domus ejusque locuples villa *Zieglerorum* Partitiorum Tigurinorum est proprium, præsens ipsius Possessor est *Adrianus Zieglerus*, primus Provinciae Capitaneus, vir fidei integerrimæ. In Templo hujus cætus etiam antiquum veterum Baronum Monumentum sepulchrale conspicitur.

§. VII. Ab

[a] Legatur de hoc bello Gabr. Walseri Chronicon Abbatiscellanum ab Anno 1403. usque ad Annum 1408. Item Josias Simlerus de Rep. Helveticorum ex Editione & Auctione Jo Jacobi Leonis Tig. Anno 1722. libr. I. pag. 144. in notis lit. c.

§. VII.

Ab altera parte, qua Arx Forsteck ad Septentrionem vergit, & via ad Rheguscorum Præfecturam ducit, dimidiam horam & plus magis ab arce sejunctus jacet alter Pagus SENWALD, cujus cœtus in septem partes sive Communitates, quas incolæ *Noden* vocant, dividitur, simulque ejus Societati adnumerantur cives pagi *Ober-Lienz*, in quo mediò termini utriusque Provinciæ seu Regionis & Saxensis & Rhenovallensis figuntur, atque hujus Pagi *Lienz* dicasterium ita est constitutum ac divisum, ut causæ criminales & capitales Præfecto Alto Saxano sint dijudicandæ, civiles autem tum oppido *Altstetensi*, tum Abbatis *S. Galli* Præfecto in Rheguscorum Præfectura competant.

Heic maxime duo memoranda sunt; primum est Templum colli [a] superstructum, cujus cœtui Arx Forstek olim adnumerabatur, [b] unde tactum, ut Barones illic habuerint sepulchri cryptam, quæ adhucdum ibi superest & Baronis *Jo. Philippi* [c] Cadaver absque corrosione & corruptione per Sesqui Seculum miro modo servatum continet; cui summo pariete adscriptum legitur Epitaphium, quod Beatus *Eggsteinus* tum temporis

T 2

Pastor

[a] Inde hic locus nomen habet; Auf dem Büchel; hoc templum etiam vocatur; Die rotthe Kirch.

[b] Forsteckenses olim ibi erant cœtuales, quia hoc Templum tum temporis, Parochia Saletana nondum existente, arci erat proximum.

[c] Vitam & Fata hujus Baronis vid. Satur. Tom. I. Part. IV. N. III. p. 538 - 582.

Pastor in honores Illustris Baronis *JOANNIS PHILIPPI* ejus Patris & Majorum hisce edidit verbis:

Numina dextra colens, lustras si forte Viator,
 Quas tegat exuvias Pyramis ista lege:
 Huc sibi delectos Socios Heroes ab alto
 Saxo, Mars, Pallas, composuere suos:
Ulrichum belli Pestem, fulmenque *Philippum*.

1544. Qui pedemontana clade Trophæa tulit,
 1564. Atque Reformata Duce Christo Religione,
 1585. Romani Cultus monstra perosus obit,
*Johannē*que manu promptū, ingenioque *Philippū*,
 1577. Belgarum Ductor qui duo lustra fuit,
 1575. Electoralis quoque Consiliarius: Eheu!
 1596. Dissecat incauto tempora pulchra Nepos.
 Cūcta madēt lachrymis, nihil illis triste receptis.
 Mitia fata tibi culte viator eant.

B. E. T. P. 1599.

Præterea in hoc templo aliquot Præfectorum [a] eorumque Familiarium cadavera sepulta jacent, quorum

[a] Arx Forsteck ejusque Incolæ hodie utrum coetui Senosylvano, an vero Saletano adscribantur, & utri Pastorum cura animarum incumbat, non adeo liquet. Nam 1. Præfectorum quidam Templum propinquius Saleti, alii remotius Senwaldi magis vel minus frequentant. 2. Alii Infantes Saleti, alii Senwaldi baptizandos; item & defunctos tum hic tum isthic sepeliendos curarunt. 3. In utroque loco & Saletano & Senosylvano Familiarum & Catechumenorum Catalogi inveniantur, in quibus Domestici Arcis Forsteck consignantur. Ergo lis pendet: Et quivis Præfectus heic suo fruitur arbitrio; Saltem experientia hucusque id docuit. Interim tamen forsitan non foret male, si litis consultum, ansa præcideretur.

quorum sepulchra cippi & litteris & insignibus cæ-
lati tegunt ornantque.

Alterum est, quod olim percrebuit fama, qua-
si Mensis Sextilis tempore in interiori saxosi mon-
tis latere, an der Littenwand, Tintinabulorum
sonus atque cantus fuerit auditus, nunc temporis
ex quo sonus audiri desiit, etiam fama & fabula
evanuit. [a]

§. VIII.

Tertius tandem Provinciæ Pagus SALEZ a
fronte arcis Forstec positus per horæ quadrantem
ab illa ad Australem plagam distat. Cum his Sa-
letanis etiam *Hagani*, qui horulæ spatio in supe-
riore Rheni parte ab illis sejuncti habitant, in eo-
dem templo Sacris & ejusdem Pastoris cura utun-
tur: utrumque Pagum in planitie Rhenus alluit,
& frequentius sua exundatione, ut supra §. III.
diximus, vexat. Pagus Saletanus nihil habet me-
morabile præter Hospitium, quod olim Baronum
fuit proprium, illud vero Baro *Joannes Ludovicus*
Anno 1613. octingentorum aureorum pretio ven-
didit *Rodolpho Bergero* Saletano: Singularibus hoc
Hospitium fruitur dotibus & privilegiis: v. gr.
quod ab omnibus vectigalibus, censis & oneribus
est immune; quod Hospitii jus ipsi soli est pri-
vum; quod Nundinæ Provinciales non nisi in hoc
pago celebrantur, quarum singulis annis duæ
T 3 sunt;

[a] Legatur hæc Historia ejusque Crisis Physica in Eru-
ditissimi JO. JACOBI SCHEUCHZERI p. m. Hist. Nat.
Helv. & ex illa in Bluntschlini vel potius Bullingeri Me-
morabilibus Urbis & Agri Tigurini Edit. in 4. Ao. 1742.
Sub Tit. Forstec. p. 139.

sunt; primæ ad diem 24. Mensis Junii, qui Joanni Baptistæ est sacer; alteræ ad Michaëlis Festa, die 3. Cal. VIIIBres: frequentissimus & celebris est hic mercatus, quia e vicinis & longinquis locis non vulgaris hominum multitudo illuc confluit, & variæ res ibi sunt venales, quam maxime autem equi, qui numero plures ex diversis locis huc ducuntur. Pagus *Haganus* non adeo est celebris & copiosus, tamen memorari meretur, quia ex Magistratus Turicensis Ditione ac Regione ultimus est Cœtus, qui ad Confessionem veri Evangelii est conversus, de qua Reformatione deinceps plura.

§. IX.

Pergamus ad rem Provinciæ nostræ civilem & militarem, cujus ut veram rationem noscamus illa altius a Baronibus erit repetenda, nolo tamen in antiquum & vastum hujus Historiæ ac Nobilis familiæ campum exspatiari, sed sufficiat, rem vel tribus verbis indigetasse. Fuerunt *Barones ab Alto-Saxe* Familia perantiqua [a] nobilis, potens ac dives:

[a] Originem & antiquitatem hujus Familiæ Josias SIMLERUS his recenset verbis: Dicuntur hi ex Alto-Saxorum familia oriundi & vocantur Domini von Sax zu Monsax. In Rhætia multi nobiles vetustissimæ stirpis esse dicuntur, a primis Rhætis qui Tusci fuerunt ut creditur oriundi: ipsi se a Romanis ortos gloriantur: illic olim Altosaxi habitaverunt, nam & prope vallem Leguntiam quæ maxime antiqua nobilitate gloriatur, vicus nomen familiæ retinet, Obersax, & arx illic fuit a Saxo, vel ut quidam malunt a Sacco nomen habens. Mihi itaque verisimile fit, Alto Saxorum familiam Rhæticiam origine esse, ac a Veteribus Tuscis qui Romanis antiquiores fuere, una cum aliis multis nobilibus Rætorum familiis originem ducere, illa etiam Regio cui hodie imperant, olim in

dives: Fuerant aliquando Domini Provinciae ultramontanæ *Bellizonæ*; *Monfaxii* Domini in Rætia; Castelli *Wartensteinii* in regione Sarunetana; Arcis Abbatiscellanæ *Clanxia* nominatæ; Dominationis & arcis *Burgelæ* in Turgea; Dynastiæ *Uster* in agro Tigurino &c. &c. sed pedem figamus in Baronatu nostro Saxensi, cujus hi Barones ab Alto-Saxo per VIII. & plura Secula serie non interrupta Possessores & Domini fuerunt. Illis in hac regione omne dominium etiam jus vitæ ac necis in suos subditos competebat, quod cum Landamanno & iudicibus ex suis subditis a semet electis administrabant, & quidem ita, ut inde ad alium vel superiorem aliquem Dominum provocatio fuerit nulla. Hos inter Barones Alto-Saxenses & Magistratum Tigurinum a multis annis tanta tamque fida ac amica conjunctionis intercessit necessitudo, ut Baro *Ulricus* cum suis Posteris Anno 1488. primus in civitatem Tigurinam fuerit adscriptus; ut Senatus Tig. Baronibus Tutelæ & Societatis officium & beneficium variis in discriminibus præstiterit; ut eos inopia rerum laborantes pecunia locata levaverit, quo factum tandem, ut hujus *Ulrici* Pronepos **FRIDERICUS LUDOVICUS** nimio æris alieni onere obstrictus hunc Baronatum cum omnibus jurisdictionis, potestatis, decimarum, reddituum &c. privilegiis ac Beneficiis die 15 Aprilis A. MDCXV. centies ac quinquies mille florenorum pretio Senatui Turicensi vendiderit: ipse vero partem ditiosis ac domus equestris zu *Rämpten* emit, ubi legitima

T 4

Rætia censebatur, quando etiam Strabo Rætiae fines usque ad lacum Aeronium extendit *Jos. Siml. de Rep. Helv. Tig. Anno 1734. pag. 317.*

gitima prole orbus Anno 1629. supremum obiit
diem; atque ejus Consobrinus *Christophorus Frideri-*
cus die 26. Jun. st. v. Anno 1633. in arce *Uster*
vita decedens, in ejus Pagi templo sepultus jacet,
& cum ejus quoque vita antiqua & nobilis Baro-
num Alto Saxorum familia est extincta [a]: atque sic

- - - Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. - - -

§. X.

Proin hujus Emtionis vi ab Anno MDCXV. hic
Baronatus sive libera Provincia est sub Potestate
Ampliss. Magistratus Tigurini, qui ex suis Ducen-
tum Viris Præfectum illi imponit, qui ibi imperet,
Magistratus jura tueatur, redditus publicos exigat,
eorumque ut & mulctarum singulis annis Consilio
quæstorio rationem reddat. [b] Juris autem atque
judicii administrationem non solus Præfectus exer-
cet, sed ex veteri hujus Baronatus lege & consue-
tudine sibi adjunctos & Socios habet Landaman-
num, [c] quem Senatus Tig. ipse ex tribus Pro-
vinciæ

[a] Epitomen Historicam hujus Familiæ vide Satur.
Tom. I. part. IV. in Biographia Baronis Jo. Philippi §. II.
VI. Item B. Memorabilia Tigurina; Tig. in 4. Ao. 1742.
sub Tit. Sar. p. 376. sqq.

[b] Adhuc XXI. fuerunt Præfecti, quorum, fer-
me omnium imagines pictæ in arcis Forsteckenensis cœna-
culo parieti adpensæ videntur. Octodecim priores non-
nisi 6. annis præfecturæ præerant: postea vero An. 1714.
gravibus de causis non tantum Præfecti commoda & re-
ditus augebantur, sed etiam Provinciæ imperium ipsi ad
novem annos prorogabatur.

[c] Landamannus, ut & Scriba, Lictorve ex toto Ba-
ronatu libere eliguntur, nec ulli pago hæc officia sunt
priva.

vinciæ Judicibus, sibi a Præfecto optioni datis, eligit: porro tredecim Judices [a] in tres diœceses distributos & a Præfecto lectos; cui dicasterio præterea inserviunt tum Scriba tum Lictor sive Servus publicus. Habet hæc Provincia veteres suas consuetudines & quoad tum exigenda & solvenda debita, tum hæreditates petendas & dividendas peculiare jus, quod in Codice est conscriptum & vulgo *der Lands-Brauch* vocatur.

Quum præter alias res & hic Juris Codex in Arcis Forstreck incendio per flammarum vim deletus periisset, ac dein succedente tempore in debitis atque hæreditatibus variæ intricatæque ortæ essent lites, subditi Provinciales per Landamanum suum *Casparum Lewwiner* Senosylvanum aliosque ipsi adjunctos a Summo Magistratu Tig. supplices petierunt, ut antiquum hujus Baronatus Jus ipsis publice restitueretur, quorum petitioni Magistratus annuens duos misit Legatos, Amplissimum Proconsulem SOLOMONEM HIRZELIUM & Senatorem Armentariique Præfectum JOANNEM ESCHERUM, qui cum ADRIANO ZIEGLERO tum temporis Præfecto hujus Provinciæ Codicem Juris constituerunt, quem postea Mense Novembri Anno 1726. Senatus confirmavit.

T 5

Hujus

[a] Quævis diœcesis duos vel tres habet judices, quibus defunctis Successores ex eadem diœcesi & pago sufficiantur. Et quidem 1. Pagus Sax tres habet, quibus adjunguntur duo ex Frömsen. 2. Pagus Sennwald quoque tres habet, quibus adnumeratur judex Lienzensis. 3. Pagi vero Salez & Haag, quibus binos dat judices.

Hujus Codicis variæ *παρεργυνησαι* & non exigui abusus sensim irrepentes cum gravibus malis litibusque ansam & ortum dedissent; & imprimis cum Anno 1712. subditi hujus Provinciæ plures [a] debitorum onere & angustia rerum coacti patriam deferentes in terras alienas, quammaxime in Borussia se contulissent, Magistratus Tigurinus de novo Anno 1714. alios in hanc Provinciam misit Legatos, qui omnem causam cognoscerent, abusus abrogarent, remque emendarent. Hi consultissimi ac prudentissimi Legati, qui erant JO. CONRADUS ESCHERUS gravissimus Reip. Quæstor; Item JOANNES HOFMEISTERUS tum temporis Plebis Tribunus; postea Anno 1723. Proconsul; & tandem Anno 1734. Magnificentissimus Reip. CONSUL creatus; quos ceu SCRIBA comitabatur JO. JACOBUS HIRZELIUS CCVir, nunc Reip. Quæstor gravissimus ac meritissimus. Hi, inquam, Legati re cognita lites composuere, nonnullos Codicis Juris articulos explicuerunt, alios immutarunt, & in re Ecclesiastica, Scholastica, militari ac civili eximias ac utilissimas constituerunt Leges, quæ omnia illorum acta die 17. Junii Anno 1714. a Senatu Amplissimo fuerunt comprobata.

§. XI.

Juxta duplicem hunc Juris Codicem (*alt und neu Landts-Brauch*) cui accensenda sunt publica Edicta vel morum Mandata, veluti de cultu Sabbathi,

(a) Erant CLXXXI. homines. Nempe 7. ex Senwald; 27. ex Salez & Haag; & 147. ex Sax.

bathi, de alea, de choreis, de comotationibus &c. Omnes lites & facinora vel a solo Præfecto, vel ab ipso cum adjunctis Landamanno & iudicibus dijudicantur, mulctantur & puniuntur.

Sunt autem varia iudiciorum genera. I. Est iudicium Annuum (das Zeit, vel Meyen, Gericht) quod ex Præfecti arbitrio vel in Aprili vel Maio mense exercetur, & in quo Landamannus, sejuncto D. Præfecto, cum omnibus Provinciæ iudicibus lites resque leviores dijudicat & mulctat. II. Est iudicium Menstruum, in quo D. Præfectus Landamanno & aliquot iudicibus sibi adsociatis æris alieni hæreditatisque lites componit. III. Est Consistorium Matrimoniale, cui Præfectus præest & cum illo tres Provinciæ Pastores, nec non Landamannus & ex quovis pago primus iudex assident: in illo adulteria, scortationes, & alia Lasciviæ facinora ac causæ Matrimoniales disceptantur, & vel pecunia vel carcere, vel aliis pœnis puniuntur. IV. Est iudicium Criminale, quo scelera capitalia inquiruntur, eorumque rei supplicio mortis afficiuntur; (a) & hoc vitæ necisque jus exercet

(a) Referam duo Exempla facinorosorum, qui in hoc Baronatu mortis pœnas luebant, †) antiquo; & ††) recentiori tempore.

†) Tempore, quo Jodocus Grobius Pastor Saleti fuit, magna Prædonum Latronumque turba grassabatur, qui ex Chartis lusoriis nomina sibi fingeant. Cum aliquando Pastor Grobius ejusque Collega Hartmannus Kuoserus Pastor Senosylvanus Tigurum proficiscentes in locum Hummelwald dictum venissent, & duo ejusmodi Nebulones eos invadere viderentur. D. Pastor Kuoserus attonitus timensque exclamavit: Heu nos miseros! jam de nobis ac,

exercet Landamannus cum Judicibus, semoto D. Præfecto, cui nonnisi jus aggratiandi, uti vocatur, convenit.

§. XII.

Rem militarem quod attinet paucis illam attin-
gam. Prouti veteres Barones fuerunt Viri milita-
res & Duces celebres, qui in variis Regnis, in
Gallia, Germania, Belgio, Helvetia &c. stipendia
fecerunt, & operam militarem felici cum successu
multis Principibus præstiterunt: (a) ita Regis sui
ad exemplum subditi forti fuerunt animo, in mi-
litia se multum exercuerunt & Alto-Saxenses sem-
per gens bellicosa fuerunt habiti. Ipsi nec hodie
sunt ignavi aut meticulosi, & quanquam per Dei
gratiam

tum est! D. Grobins vero vir fortis animum & sibi sum-
sit & comiti adidit, illum docuit, quomodo gladio, quo
ob vias non tutas erant armati, vim hostium repellere
seque defendere possit: Ipseque homines nequam propius
accedentes voce intrepida & clara ita fuit allocutus: Tu
vocaris Roosen-Sau; & tu Schellen-Rönig. Hei! justo
jam loco & tempore vos offendimus, jamjam aderunt
viri, qui ad vos comprehendendos sunt emissi: Et cum
elata voce ipsos advocare cœpisset, binii Nebulones velo-
ci cursu affugerunt & in sylvam sese abdiderunt, duo
autem Pastores salvi & incolumes suum profecuti sunt
iter. Duo hi Nebulones haud multo post in Provincia
Saxensi in carcerem coniecti & tormentis quæsi, præter
alia scelera & hoc sunt facti, quod animus ipsis fuerit,
duos hos Pastores necatos prædare. Et hi mortis suppli-
cio sunt affecti.

†) Recentiori tempore, die 24. Aprilis Anno 1739.
duo juvenes Nebulones ex Salisburgo oriundi ob varia
Furti crimina capite fuerunt truncati, quos ego cum Rev.
D. Collegis ad mortem paravi & ad supplicium doxi.

(a) Vide Saturam Tom. I. part. IV. N. III. §. IV. V.
XV. XVI.

gratiam dulci in patria alta fruimur pace, tamen multi ex hac Provincia militiam peregrinam apud Gallos, Germanos, Hispanos, imprimis Batavos sequuntur. Et illi, qui domi degunt, ad legem Magistratus Tig. in armis diligenter exercentur. Univerſa militum manus in hoc Baronatu in duas diſpertitur Cohortes, quibus duo Duces; h. t. *Adrianus*, & *Joannes ZIEGLERI*, Fratres, Cives Tigurini & Viri belli periti ſunt præfecti; Etiam Magistratus omnia ſuppeditat, quæ ad militiam alendam & augendam pertinent; unde Armamentarium Tormentis, Sclopetis & aliis ad Caſtra bellumque pertinentibus armis & instrumentis pro Provinciæ magnitudine ſatis inſtructum atque exornatum in arce Forſteck conſervatur ac colitur: Præterea illis, qui in armis ſunt ſtrenui & aſidui, qui bombardis & majoribus & minoribus orbem tangunt, quotannis liberalia dona a Senatu Tig. impertiuntur.

§. XIII.

Pedem promovemus ad verum noſtrum propoſitum, ut enarremus Reformationem hujus Baronatus Eccleſiaſticam. Barones Alto-Saxi eorumque ſubditi Religionis Pontificiæ erant ſequaces uſque ad Annum MDLXIV. quo anno Baro ULRICUS PHILIPPUS Superſtitione ac Religione Romana renuntiata Fidem Chriſtianam emendatam eſt amplexus. Baronem quidem ab inſtituto & promiſſis & minis avocare omni modo tentarunt V. Pagi Catholici, quippe cum Urienſibus & Unterwaldiis civitatis jure & vinculo hi Barones erant colligati: (a) At Magistratus Turicenſis

(a) Ægid. Tſchudi. Hiſt. Helv. edit. Baſ. T. I. p. 639. ſqq.

census hunc *Ulricum Philippum* non solum confirma-
 vit, & in pietatis opere suscepto & incepto ut fi-
 delis pergat multis instigavit rationibus, sed etiam
 contra vim atque injuriam ipsi hac de re inferen-
 dam fidam opem tutelamque est pollicitus, quo
 commotus Baro incepto Reformationis operi adeo
 constans & fervidus adhæsit, ut spretis omnibus
 aliorum & illecebris & minis ad Castra Jesu trans-
 ierit, secumque etiam suos subditos ducere stu-
 duerit, quod consilium atque conamen Deo for-
 tunante tam prosperum habuit successum exitum-
 que, ut duæ Diœceses *Senosylvana* & *Saletana* cum
Haganis eodem illo anno cum Domino suo doc-
 trinam Evangelicam publice fuerint confessæ, qua
 de re Magnif. Consul Tig. a Cham per litteras sub
 die 13. Novembris Anno 1564. exaratas Baroni
 ejusque Subditis fuit gratulatus. Statim duobus
 his cœtibus Præcones Evangelici fuerunt admoti;
 Nempe Senosylvano *Joannes WOHNLICHIVS*,
 & Saletano Haganoque *Joannes HAUSERUS* vel
HAUSLI, qui ad Festum Nativitatis Jesu ejusdem
 anni primos Sermones doctrinæ orthodoxæ pro
 Suggestu sacro dixerunt, & deinceps fidem Refor-
 matam fideliter docuerunt. Reformationem Pagi
 Sax & Frömsen nonnulli Scriptores in annum
 sequentem MDLXV. referunt, alii (a) autem ad
 sequiora tempora deducunt, & illius annum incer-
 tum perhibent. Hoc omnino certum, quod UL-
 RICHI PHILIPPI Filius natu maximus JOANNES
 ALBERTUS ejusque Posteris, qui Domum Saxen-
 sem

(a) Duo MSC. habeo, quæ id affirmant.

sem possederunt, usque ad finem Seculi XVI. Papicolæ manserunt.

§. XIV.

Interea post obitum Baronis ULRICI PHILIPPI, qui die 6. Maji Anno 1585. decessit, inter ejus superstites Filios, qui non uterini, sed ex duabus uxoribus nati erant Fratres, variæ disensiones ac lites sunt ortæ, quæ florem, gloriam, potentiamque hujus Familiæ multum labefecerunt; inprimis postquam illustris Heros & Baro JOANNES PHILIPPUS ab Alberti Fratris Filio Huldrico Georgio perfide ac misere fuisset enecatus, non tantum Baronum res familiaris, sed etiam Provinciæ res civilis & ecclesiastica fuit immunita; quippe Parochia *Saletana* abrogata ejus Pastor ad cœtum *Saxensem* fuerat transmottus, qui cum Pastore *Senosylvano* per vices alternas triginta & plures annos apud Saletanos concionandi & aliis Pastoris officiis fungebatur. Huic incommodo accesserunt alia onera ac mala longe graviora, qualia sunt durum Baronis *Ludovici Friderici* imperium & mandatum, qui non argumentis, non rationum pondere ac pietatis exemplo, sed secularis brachii subsidio & violentia Religionem propagare satagebat; præterea quod *Hagani Beneduro* trans-Rhenano proximi & antiquo Ecclesiæ jure adhuc ipsi constricti a Sacrificulis illius templi, & finitimis aliis pluribus multis strophis ac pollicitationibus fuerunt illecti, unde factum, ut hi Hagani ad vomitum redeuntes Christi Evangelio terga verterint & Anno 1600. ad Paschatis Festum in Templo *Benedurano*, cui antea erant addicti, Missæ idolum denuo prima vice adoraverint.

§. XV. Hinc

§. XV.

Hinc repetita fiebat Haganorum Reformatio, quæ demum Anno MDCXXXVII. paulatim ad perfectionem fuit perducta, cujus historiam adhuc *αὐθεντικῶς* prolixius recensitam legere benevolo & hujusmodi historiarum cupido Lectori forsitan non erit ingratum. Cum Ampliff. Magistratus Turicensis jure emtionis summa rerum potiretur ac Dominus hujus Baronatus constitueretur, Præfectum illuc cum imperio misit, qui et jura civilia administraret, et rem ecclesiasticam curaret, imprimis, si Deo placuerit resque potis esset, etiam Catholici *Hagani* ad veram Evangelii fidem converterentur, idque non tam vi externa, quam spiritali, quale *ἀγγαγεύειν* nobis S. Scriptura inculcat. Hanc rem quam maxime curæ sibi habuit Nobilis Præfectus JO. HENRICUS LOCHMANNUS: ipse cum summo Magistratu deliberavit atque consultum duxit, ut peculiaris iterum *Saleti* constitueretur Parochia, et probus industriusque huic gregi præficeretur Pastor, qui cum Saletanorum tum Haganorum salutem ac fidem, illorum confirmandæ, horum emendandæ, omnem daret operam. Quæ res cum rata haberetur, *Jodocus GROBIUS* Pastor Toggicus nuperrime sine fontica causa a Pastoratu *Crumenauensi* in Toggio amotus, dignus est inventus, qui ad hoc opus electus adhiberetur. Magistratus itaque D. Præfecto *Lochmanno* mandavit, ut hac de re cum Pastore *Grobio* loqueretur, ejusque voluntatem hoc munus in se suscipiendi vel recusandi cognosceret; ipsum etiam Ven. D. Antistes JO. JACOBUS BREITINGERUS litteris ad hunc Pastorem instruxit. D. Præfectus domum redux non diu cunctatus *Jodocum*

cum Grobium ad se accersivit, illi Magistratus Con-
siliū significavit, hocque munus in se si susci-
peret omnem opem, singularem Magistratus be-
nevolentiam ac justam vitæ sustentationem est pol-
licitus, simulque Antistitis litteras exhibuit. Hac
re ceu conspicuo Dei in se Providentiæ *τεμπησις*
Pastor *Grobius* multum gavisus D. Præfecti petito
summa cum gratiarum actione annuit, et litteras
responsorias ad Ven. D. Antistitem *Breitingerum*
misit, quibus summas Ampliss. Magistratui de ejus
in se benevola mente agit gratias, fidem de obla-
to munere addicit, seque ejus favori magnopere
commendat. Itaque absque ulteriori mora *Jodo-
cus Grobius* cum omni sua familia ex Toggio Sale-
tum est profectus et officium sibi demandatum die
12. Novembris Anno 1634. concione S. auspi-
cabatur, quam de Vocatione et Munere V. D.
Ministrorum ex Ezech. III: 17 20. dixit. Illa fi-
nita Gravissimus Reip. Quæstor JO. LUDOVICUS
SCHNEEBERGERUS illuc a Magistratu le-
gatus ad ambos cœtus et *Saletanos* et *Haganos* (nam
hi quanquam Catholici huic actui ut interessent,
publice fuerunt invitati) amicum, pium & eruditum
habuit sermonem, quo Pastorem *Grobium* huic
Gregi præfecit, et cœtuales non minis nec ver-
borum acerbitate, sed suavitate, sed rationibus
et argumentorum pondere sui officii admonuit,
ac salutis curam ipsis commendavit.

Reliqua proxima Particula explicabit.